

hil est aliud, quam animum habere malum, eique nullum aliud, quam poena recte inflictâ, adhiberi remedium potest. Ergo quem vitiis poena liberat, adeoque qui poenas luit, minus miser est eo, qui omnem effugit poenam, et vitiis inquinatus aetatem degit. Solent quidem homines, quanto maximo possunt studio poenas vitare; sed ab ignorantia id, et dolorum metu proficiscitur, dum, in quonam vera sit et maxima utilitas posita, nesciunt, aut scire nolunt. Positis his, artem oratorum nihil plane esse vtilem, immo revera nociuam, efficitur, cum ad defendenda aut excusanda, quae iniuste sunt perpetrata, praecipue adhibeatur; cumque homines, si saperent, sese, vt medico in morbis corporis, ita et iudici in morbis animi, curandos et castigandos deberent tradere. Praeclarissime haec ac verissime a Socrate dicuntur: an autem is sit horum auctor, ambigo, cum nullibi inter Socratis dicta haec occurrant; magisque adeo, vt Platoni haec adscribam, animus inclinatur.

Polo ad silentium redacto, partes eius et simul Gorgiae suscipit Callicles: qui, reprehenso nimio vtriusque et intempestiuo pudore, quo concedere falsa sint coacti, legem inter et naturam distinguens, secundum illam recte quidem Socratem docet asserere, peius esse iniuriam facere, quam pati; secundum hanc contra, qui iniuriam patitur, deterioris omnino esse conditionis eo, qui infert. Serui namque est iniuriam pati, et eius, qui adesse sibi nescit: multitudo, cum imbecillitatem intelligeret suam, legem tulit, qua iniuria omnis prohiberetur; natura autem fortioribus omnia indulgit, et vbique validioribus ius et imperium in imbecilliores dedit, vt in gentibus est videre, quarum quae sunt opulentissimae, reliquis imperant. Ad hanc, missa inani philosophia,